

inventarii hæreditatem adiit. Secus enim, si-
cuit quivis alias hæres, ita ut ipse etiam de-
hac emphyteusi quin et de propriis bonis
solvere hand dubie debet cuncta debita an-
tecessoris, cuius hæreditatem adiit : ut clari-
s juribus vulgaribus habet certa et com-
munis doctorum. Diceturque magis infra tit.
de Testamento.

259. *Monasterium succedit etiam in emphy-
teusi ex pacto et providentia ; et quomodo ? —*
Quæritur VII. An etiam in emphyteusi ex
pacto et providentia succedat monasterium,
quod intravit alias legitime succedens ? Resp.
In emphyteusi ex pacto et providentia suc-
cedit quidem etiam monasterium, sed non
nisi quoad fructus et commoditatem, ita ut
iis, quandiu religiosus vivit, frui possit ;
emphyteus in tamen etiam de consensu do-
mini alienare non valeat, sed eo mortuo
cedere debeat secundum ordinem illis, qui
in investitura sunt vocati. Ita doctores cit.
Patetque conclusio ex dictis n. 255. ubi os-
tendimus, quod emphyteus in antiquam ex
pacto et providentia, etiam de consensu do-
mini, in præjudicium vocatorum in investi-
tura alienare non possit emphyteuta, sed
fructibus et commoditatibus illius quando-
vivi, contentus esse debeat.

260. *Res ecclesiasticae in emphyteusin con-
cedi non possunt absque solemnitatibus juris. —*
Quæritur VIII. An, et quomodo a prælatis,
seu rectoribus Ecclesiæ in emphyteusin con-
cedi possint res ecclesiarum ? Resp. I.
Quamvis absque legitima causa, et debitis
juris solemnitatibus nec ad tempus, nec in
perpetuum de novo in emphyteusin concedi
possint res ecclesiarum : fieri tamen licite
ac valide potest tam in perpetuum, quam ad
tempus, existente legitima causa, et adhibi-
tis juris solemnitatibus. Prima pars commu-
nis est ac certa, patetque clare ex can. Apo-
stolicos. 13. caus. 12. q. 2. et c. Nulli. 5. de
Rebus Eccles. alien. et extravag. *Ambitiosæ,*
eod.

261. *Bene vero illis adhibitis ; etiam in per-
petuum. —* Secunda pars, quod id fieri etiam
in perpetuum possit existente legitima cau-
sa, et adhibitis juris solemnitatibus, docet
Jul. Clarus, § *Emphyteusis.* q. 6. n. 4; Ab-
bas, in c. *In præsentia de Probat.* n. 29; Co-
varuvias, lib. II. *Variar. resolut.*, e. 17, n.
5, arg. can. *Sine exception.* 52, cau. 12, q. 2,
e. 1. *de Rebus Eccles. alien.* in 6. Clem. 1.
eod. juncta extravag. *Ambitiosæ,* eod. Ubi
quaeritur alienatio, etiam perfecta venditio,

qua dominium utile, ac directum simul alien-
atur, ne dum emphyteusis, facta ex legiti-
ma causa, ac cum debitum juris solemnitate-
bus, tanquam licita et valida approbatur.
Nec obest dispositio civilis novella 7. cap. III.
quia ut supra n. 240. jam diximus, et pleni-
us probat Abbas, in c. *In præsentia.* n. 28.
de Probationib. illa dispositio utpote ex se
invalida, ac insuper revocata, penitus nullius
est roboris. Quæ autem causæ ac solemnita-
tes requirantur, plene dictum supra tit. XIII.
§ 2. *de Rebus eccles. alien.*

262. *Emphyteusis antiquam ad Ecclesiam
reversam potest prælatus Ecclesiæ denuo con-
cedere in emphyteusin etiam absque juris sole-
mnitate. —* Resp. II. Si res Ecclesiarum in em-
phyteusin aliquando legitime concessæ, ite-
rum redeunt ad Ecclesiam v. g. quia tempus
est elapsum, vel quia deficiunt successores
legitimi, potest prælatus Ecclesiæ eas de
novo etiam absque juris solemnitate conce-
dere in emphyteusin : dummodo eadem,
vel similis utilitatis causa adhuc existat :
consequenter non cum minori, sed cum ea-
dem, vel maiore evidenti Ecclesiæ utilitate
emphyteusis concedatur. Abbas, in c. *Ut super.* n. 41. *de Rebus eccles. alien.*; Clarus, q.
6; Pirhing, h. t. n. 46; Azorius, cap. II. q.
8, et communis aliorum, arg. cap. II. *de Feudis.* et extravag. *Ambitiosæ.* *de Rebus eccles. alien.* Ubi a prohibitione alienationis re-
rum Ecclesiæ excipiuntur res ab antiquo in
feudum vel emphyteusin dari solitæ. Ratio
est, quia dum prælatus rem aliquando in
emphyteusin legitime jam datam, denuo in
emphyteusin concedit, non tam novam alie-
nationem, quam executionem ordinationis
antiquæ facere censemur ; uti cum aliis bene
argumentatur Abbas, loc. cit. arg. c. *Consul-
lit. 7. de Judæis.*

263. *Dummodo eadem causa utilitatis exis-
tat. —* Dicitur autem notanter, « dummodo
eadem vel similis utilitatis causa existat, »
etc. quia ut emphyteusis antiquam de novo
etiam absque solemnitate juris concedere
possit rector Ecclesiæ, requiritur expresse
extravag. *Ambitiosæ.* *de Rebus eccles. alien.*
quod fiat cum « Ecclesiarum evidenti utili-
tate, » et c. II. *de Feudis.* « si videris expe-
dire ; » non expedit autem Ecclesiæ, nec in
ejus utilitatem vergit, si emphyteusis ad Ec-
clesiam reversa, de novo concedatur in em-
phyteusis modo, vel cum conditionibus et
clausulis, Ecclesiæ minus utilibus, facienti-
bus conditionem ejus deteriorem, ac prius

erat : et ita tenere omnes, testatur Jul. Clari-
rus, q. 6. Hinc infertur cum Abbate, loc.
cit. n. 41. et aliis, quod, si sterilis et incul-
lus Ecclesiæ fundus pro modico canone con-
ceditur in emphyteusin, ut colatur, et postea
frugifer factus, ex aliqua causa revertitur ad
Ecclesiam, nec possit Ecclesia pro eodem
modico canone eum absque juris solemnitate
denuo in emphyteusin concedere ; quia nec
eadem, nec similis causa, ob quam prius
emphyteusis pro modico canone concedebat-
tur, amplius existit ; prius enim pro tam mo-
dico concedebatur canone, ut ex sterili ac-
quireret fundum fertilem Ecclesiam ; ergo post
quam jam frugifer factus revertitur ex ali-
qua causa ad Ecclesiam, hæc causa non am-
plius existit. Pariter si emphyteusis prius
data privato, revertitur ad Ecclesiam, non
potest postea dari potentiori vel alicui com-
munitati, etc., quia fieret deterior conditio
Ecclesiae.

264. *Vel saltem similis causa. —* Dicitur
vero « eadem vel similis causa ; » quia neces-
sarium non videtur, ut prorsus eadem causa
perdureat ; sed sufficit, quod sit similis, vel
talis, ob quam eadem utilitas Ecclesiæ spe-
ratur, quæ ex priori emphyteusi habebatur.
Atque ita intelligendus est Abbas, loc. cit.
dum dicit eamdem debere subsistere cau-
sam : nam extravag. *Ambitiosæ.* *de Rebus Eccles. alien.* et c. II. *de Feud.* præcise re-
quiritur, ut fiat « cum Ecclesiæ utilitate ; »
ex quacunque dein causa utilitas prove-
niat.

265. *Emphyteusis antiqua quænam dicatur?*
— Porro quandonam censeatur emphyteusis
antiqua, seu res ab antiquo in emphyteusin
dari solita, controvertunt doctores. Aliqui
eorum cum Abbate, loc. cit. volunt, suffice-
re, quod res semel data sit in emphyteusin.
Alii vero cum Jul. Claro putant requiri,
quod res his saltem jam sit concessa in em-
phyteusin ; vel si semel tantum concessa di-
gnoscitur, saltem per quadraginta annos ta-
lem emphyteusin quis habuerit. Abbatis, et
sequaci *opinio* fundatur in c. II. *de Feudis.*
ubi plus non requiritur, quam quod res
prius in feudum sit concessa. Jul. Clar. et
consentientes fundant se in extravag. *Ambitiosæ,*
ubi expresse requiritur, quod sit talis
res, quæ « ab antiquo in emphyteusin dari
est solita ; » non autem vere dicitur *solita*,
si semel tantum fuit concessa ; ergo. Quæ
sententia probabilior videtur, et securior,
adeoque in praxi tenenda, præsertim, cum

lex posterior, qualis est extravagans *Ambitio-
sæ* respectu c. II. *de Feudis*, deroget prio-
ri, arg. c. *Licet Romanus.* *de Constitut.* in 6.
et hæc juxta illam interpretationem sumere
debeat, prout amplius diximus in Proemio
n. 2.

266. *Emphyteusis etiam antiqua, si ad Ec-
clesiam reversa applicatur mensa Ecclesie vel
prælati, non potest amplius absque juris sole-
mnitate in emphyteusin concedi. —* Resp. III.
Quando emphyteusis ad Ecclesiam reversa
applicatur ad mensam prælati, episcopi, vel
Ecclesiæ, non potest amplius absque juris
solemnitate de novo in emphyteusin conce-
di, quantumvis prius, et ab antiquo in em-
phyteusin dari sit solita. Abbas, in cit. c. *Ut super.* 8. n. 9 et 10. *de Rebus Eccles. alien.* ;
Azorius, lib. X. cap. III. q. 2; Pirhing, h. t.
n. 49. et communis aliorum. Ratio est, quia
hoc ipso, quod incorporetur alii bonis ec-
clesiasticis ad mensam pertinentibus, induit
naturam et qualitatem eorum : hæc autem
absque juris solemnitate in emphyteusin
concedi nequeunt, per ea, quæ dicta sunt
supra n. 260. ergo. Pro majori intelligentia
hujus conclusionis,

267. *Quænam bona dicantur de mensa præ-
lati vel Ecclesiæ ? —* Notandum, quod aliqua
bona ecclesiastica dicantur ad mensam Ec-
clesiæ, capituli, vel monasterii, etc. perti-
nere, aliqua ad mensam prælati, vel episco-
pi, etc. Primi generis sunt illa bona, et red-
ditus, quæ sunt destinata ad sustentationem
ministrorum Ecclesiæ, vel canonicorum capi-
tuli, vel religiosorum monasterii, et perti-
nentium ad eos. Secundi generis sunt bona
et redditus, quæ proprie sunt destinata et
spectant ad sustentationem prælati, vel epi-
scopi, etc. Azorius, lib. X. cap. II. q. 1. et
alii. Bona vero, quorum solum dominium
directum ad Ecclesiam vel monasterium
spectat, utile autem ad extraneum, non di-
cuntur esse de mensa Ecclesiæ vel prælati :
uli habet Glossa, in Clem. I. § *Ad mensam.*
de Excess. prælat. Abbas, in c. *Ut super.* n.
9, *de Rebus Eccles. alien.* Quando igitur talia
bona ad Ecclesiam, etiam quoad dominium
utile reversa, applicantur sustentationi mi-
nistrorum Ecclesiæ, vel canonicorum capi-
tuli, aut religiosorum monasterii, aut præ-
lati vel episcopi, etc. dicuntur fieri, et esse
de mensa ipsorum. Porro applicatio seu des-
tinatio bonorum ad certam mensam varie
fieri potest, videlicet vel per dispositionem
episcopi cum consensu capituli, vel per

præscriptionem, vel per concessionem aut privilegium Papæ, ut bene notat Glossa, loc. cit. Postquam ergo bona emphyteutica ad Ecclesiam reversa ita applicantur ad aliquam mensam, amplius sine juris solemnitate in emphyteusin dari nequeunt, prout habet conclusio. Et hæc de emphyteusi dicta sufficiant. Qui plura de hac materia desiderat, copiose reperiet apud Jul. Clarum, lib. IV. § Emphyteusis; Molinam, disp. 444; Alyar, Valas., de Jure emphyteut. et alios.

TITULUS XIX.

De Rerum permutatione.

1. *Ratio ordinis.* — Quandoquidem non tantum locatio conductio, seu etiam « Permutatio vicina est emptioni, l. II. ff. h. t. » recto ordine præcedentes duos titulos præsens sequitur, circa quædam

2. *Permutatio duplex stricte et late sumpta.* — Notandum prius permutationem dupliciter, stricte nempe, ac late sumi posse. Late sumpta importat omnem contractum, quo una res quæcumque tandem, sive specie pro altera datur. Molina, disp. 396, n. 1. et 2; Pirhing, h. t. n. 1. et communiter alii cum Glossa, in rubr. c. h. t. Stricte sumpta est, qua una certa res pro alia certa re datur. In præsenti agemus de permutatione stricte sumpta. De qua

3. *Stricte sumpta definitur.* — Quæritur I. Quid sit permutatio? Resp. I. Permutatio est contractus innominatus bonæ fidei, quo una certa res in specie pro altera certa re in specie datur. Patet descriptionis bonitas ex ejusdem declaratione. Dicitur contractus loco generis, in quo cum omnibus contractibus convenit. Est enim permutatio verus contractus § 2. f. *Diversæ*, Instit. de *Empt. et vendit.* ubi dicitur: « Permutationem esse propriam speciem contractus, » ut proinde eamdem a contractibus immerito excludat Faber, lib. VI. *Conject. cap. IX.*

4. *Est contractus innominatus.* — Dicitur « innominatus; » quamvis enim hic contractus in jure speciali videatur habere nomen: cum in utroque jure specialibus titulis agatur « de Rerum permutatione, » tamen communiter a doctoribus inter contractus innominatos numeratur arg. I. I. § 2. ff.

n. t. Ratio est, quia, ut inquit Abbas et Glossa communiter recepta in rubrica h. t. nomen *Permutationis* nimis generale est conveniens omnibus, quæ inter hominum manus versantur. Vide, quæ diximus lib. I. tit. XXXV, § 5. de *Pactis*, n. 109. et 110.

5. *Bonæ fidei.* — Dicitur « bonæ fidei; » eo quod contractibus bonæ fidei expresse annumeretur Permutatio § Actionum. 28. Instit. de *Action.* ubi aperte dicitur, quod actio bonæ fidei dicatur etiam « ea, quæ ex permutatione competit: et notant doctores communiter, signanter Pirhing, h. t. n. 2; Engel, h. t. n. 2, prout etiam nos supra citavimus lib. I. tit. XXXV. § 6. de *Pactis*.

6. *Ad permutationem requiritur res certa in specie.* — Dicitur « quo una certa res in specie datur. » Ubi per rem in specie intelligitur res certa ac determinata in individuo, v. g. hæc domus, hic equus: quia quod philosophi individuum, hoc legista speciem nominant; et quod illi speciem, hoc isti genus vocant. Debet ergo res certa pro alia re certa dari ad hoc, ut sit rerum permutatio; securus enim erit contractus innominatus *do, ut des*: sic v. g. si datur certus equus pro certo equo, vel bove vel cane certo; vel si datur domus certa pro alia domo certa, aut domus pro agro, vinea, prædio certo et erit permutatio: si vero datur equus indeterminatus pro alio equo indefinite sumpto, vel etiam unus determinatus pro alio indeterminato; erit contractus innominatus *do, ut des*, Glossa, fin. communiter recepta in I. I. c. h. t. Pirhing, h. t. n. 2; Wesembecius, Vultejus, et alii. Ratio est, quia permutatio est perfecta mutatio (nam dictio *per denotat perfectionem* l. *Urbana*. ff. de *V. S.*) qualis permutatio perfecta non est, quando convenitur mutuo pro tradenda re in genere.

7. *Permutatio distinguitur a contractu do, ut des.* — Ex quo colliges rationem differentiae contractus permutationis a contractu innominato *do, ut des*. Non desunt quidem qui docent, permutationem, et contractum *do, ut des*, esse eundem contractum, ut videre est apud Zœsum, in ff. h. t. n. 4. Verum hi audiendi non sunt: tum ob rationem jam dictam; tum quia permutatio est contractus bonæ fidei, contractus autem *do, ut des* strixi juris arg. § Actionum. 28. Instit. de *Action.*; tum etiam, quia de iis distincti in jure reperiuntur tituli: de permutatione quidem ff. lib. XIX. tit. IV, et c. lib. IV. tit. LXIV. De contractu *do, ut des*, vero ff. de *Præscripti-*

tis. verbis. Nec obstat quod subinde jura videantur confundere præfatos duos contractus. Respondetur enim illa jura loqui de permutatione late sumpta.

8. *Requiritur ad ejus substantiam actualis traditio rei, ante quam secutam licet adhuc resilire de jure civili.* — Dicitur « datur; » quia permutatio non nudo consensu perficitur, ut emptio venditio, sed requiritur actualis rei permutatæ traditio, quæ donec sequatur, licitum est permutantibus (loquendo de jure civili) pœnitere, seu a contractu resilire, textu claro l. *Ex placito*. 3, c. h. t. ibi: « *Ex placito* permutationis, nulla re secuta constat, nemini actionem competere. » Concordat, l. IV. et V. c. eod. et l. I. § fin ff. eod. Ratio est, quia donec sequatur traditio, est, et manet nudum pactum, et quo ex jure civili non datur actio, l. *Juris gentium*. §. *Sed cum nulla*. ff. de *Pactis*. ibi: « Igitur nuda pactio obligationem non parit. » Imo etsi unus permutantium rem suam alteri jam tradiderit, sicut ex parte sua contractum impleverit, licitum adhuc est saltem huic, qui ex parte sua contractum jam implevit, non item alteri pœnitere, vel si mavult, alterum actione præscriptis verbis cogere, ut et ipse contractum ex sua adimpleat, prout supra lib. I. tit. XXXV. n. 113. diximus.

9. *Non item de jure canonico.* — Dicitur autem notanter n. præcedenti « de jure civili licet pœnitere; » quia de jure canonico etiam ex nudo pacto datur actio, ei unus altero invito resilire, vel pœnitere nequit, prout amplius diximus citato tit. XXXV. de *Pactis*, n. 37. et n. 114. ac seq. ubi etiam addidimus, idem hodie et in foro civili practicari.

10. *Omnis res certa, in numero, pondere, vel mensura non consistens.* — Quæritur II. Quænam res ad invicem permutari valeant? Resp. Omnis res certa pondere, numero, seu mensura non consistens, quæ vendi et emi potest, etiam permutari potest pro alia simili re. Azorius, lib. VII. cap. II; Engel, h. t. n. 3, et communis aliorum. Probatur conclusio per singulas partes. Quod enim debeant esse « res certæ, » constat ex dictis supra n. 5. quod vero « in pondere, numero, vel mensura consistere non debeant. » Ratio est; quia contractus de mutua traditione similium rerum mutuum non permutatio foret, prin. Instit. *Quibus modis re contrahitur oblig.* ibi: « Mutui datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura consis-

tunt: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata; ære, argento, auro; quas res aut metiendo, aut numerando, aut appendendo damus, » etc.

11. *Quæ vendi, etiam permutari potest.* — Dicitur ulterius in conclusione, « quæ vendi emique potest; quia res cæteroquin certæ, quæ vendi non possunt, etiam permutari nequeunt, doctores citati. » Hinc cum rerum quas natura, vel jus gentium vel mores civitatis commercio exuerunt, venditio nulla sit, » l. *Si in emptione*. 34. § 1. ff. de *Contrah. empt.* Permutatio quoque earum irrita est. Idem est de iis, quæ ipso jure civili aut canonico emi vendique prohibentur, de quibus vide tit XVII. § 2. de *Emptione*, et *venditione*. n. 45. et seq.

12. *Excepta re aliena, quæ vendi quidem, non tamen permutari potest.* — Limitatur conclusio quoad has particulas in re aliena; hæc enim quamvis de jure valide ac licite vendatur l. XXVIII, ff. de *Contrah. empt.* Permutatio tamen ejusdem fieri non potest l. I. § *Ideoque*. 3. ff. h. t. ibi: « Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutacionem. » Concordat, c. *Cum venerabilis*. 6. de *Exceptionibus*. ubi statuitur, quod, « cum permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio; quam cum domino, vel cum eo, qui habeatur loco domini, legitimate valeat celebrari; » et ibi doctores communiter. Porro si quis rem alienam permutat, tenetur de evictione. l. *Si Permutationis*. 29. c. de *Evictionib.* Quid autem evictio operatur habetur tit. XVII. § 12. de *Emption. et vendit.* per totum.

13. *Res ad invicem permutandæ debent ambæ esse certæ, ac non fungibles.* — Dicitur tandem in conclusione « pro alia re simili; » quia non sufficit, ut unus permutantium det rem certam in specie, numero, mensura aut pondere non constantem, sed requiritur insuper, quod et alter contrahentium rem similem tradat ob rationem supra. n. 6. allegatam. Hinc etsi quis permutare intendens, tradat alteri rem certam in specie, et ab eo accipiat pecuniam, venditio, non permutatio erit: vel si pro re certa tradatur res fungibilis, id est, pondere vel mensura constans, erit contractus innominatus *do, ut des*. Qualis autem contractus, si pro re certa non fungibili, detur alia res certa similis, et simul pecunia, dictum est supra tit. XVII. § 1. de *Emptione et vendit.* n. 18, et seq.

14. *Res spiritualis pro temporali permutari*